

*Divina Adsscente Gratia!*

DISSERTATIO MORALIS

De

VIVA COGNITIONE BONI & MALI

*Qvam*

*Indulgentie Ampliss. Facult. Philos. in Regio  
ad auram atbeneo,*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

*Eloquent. Profess. Reg. & Ordin.  
Fac. Phil. h. t. Decano,*

*Qua par est modestia,  
Philosophantium disquisitioni submittit;*

ALUMNUS REGIUS

NICOLAUS P. BEXELIUS  
*Smo'andus.*

In Auditorio Majori, die XX. Junii  
Anno MDCCXLI.

*Horis ante meridiem consuetis.*

---

ABOÆ, exc. Joh. Kiæmpe, Reg. Acad. Typ.

Sæ Ræ Matis  
MAGNÆ FIDELI VIRO,  
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,  
**DN. GUSTAVO AD.  
HUMBLE,**

S. S., Theologiæ Doctori Celeberrimo, Inclitæ Dicœcœfios Vegsionensis Episcopo Eminentissimo, Consist. Ecclesiastici ibidem Præsidi Gravissimo, Gymnasiorum Scholarumque per totam Dicœcœfin Ephoro Vigilantissimo,  
**MÄCENATI MAXIMO!**

**F**a est Rev. Præsul presentis materie utilitas ino etiam necessitas, ut nullus du item, quin a voto consecrata Rev. Tuæ Dignitati, vite morumque commendationem anxie semper cupienti se se commendet. Doleo tantum, quod vires in illa pertactandi vosis nostris non satisfecerint. Atticuum interim Seneca effatum: In arduis fategisse lat est, in primis tamen indulgentia vere paterna, qua smolandos Tuos semper amplectaris, animum ante sollicitum jam redundat erectum. Adspicias itaque Rev: Pater, fronte quas soleas se eua munusculum, quod humillimus offero carthaceum, meque inter clientes Tuos propensissime recipias. Ego diu vixero pro Rev. Tuæ Dignitatis perenni salute atque incolumentate calidissima fundere suspiria non cessabo. Vive itaque diutissime, Magnum Ecclesiæ Decus! vive inquam felix! sic vobet.

**TUÆ Reverendiss. Dignitatis**

*Cleus humillimus*  
**NICOLAUS BEXELIUS.**

Augl. Maj:ts Tre-Man och Major vid Åbo Läns  
Regemente til Gotl/

Wålborne

# Herr CARL EDVARD FOCK.

Höggnistige Ghanare!

**T** man ej i glömsko gömmer /  
Men av synest stads berömmar /  
Är en skuldig wörnads drift /  
Den naturens lag påbinder /  
Hos en hvar behagligt sluder /  
Och besals i mängen skrift.

Jag då wore platt owerdig  
Alt/ som Herr Majoren färdig  
Varit at bewisa mig /  
Om det finnet mit ej rörde  
Ej det uppå pappret förde  
När tilfället hppar sig.

Dersör' fast jag intet åger  
Crœn guld ell det som väger  
Mot det som jag niutit har /  
At jag likväl redebogen  
Öfra tack uhr inre hogen /  
Prisa det min lefnads dar.

Ell et prof min Ghynnar' Store  
Herr Major, min önskan wore  
At min siäder wiste Klart

Hier-

Hiertat mit / som detta gisver/  
Siälen tancka / som het strisver/  
Hela wiljans intre art.

Då mit lilla Vappers Kryss  
Sielß shall tala utan lyte  
Sielf förfkaffa sig behag;  
Dock jag vet mit uppstät hyslas  
Doch art bristen shall uppskallas  
I min önskan alla dar.

Gud lät Ehr i tider långa  
Fålja sälhetens Ledet många  
Lefwa altid väl fornögd!  
Gud lät motgång från Ehr wika/  
Glädje lycka aldrig svika/  
Eils I går i hunlens frögd!

Min Höggunstige Gynnare

Ödmönste Tienare.

NICOL. BEXELIUS

Maxime Reverendo atque Amplissimo Domino,  
**Dn. OLAVO OSANDRO,**

S. S. Theologiæ Doctori Celeberrimo, per Diœcesin  
Wegion. Archi Præposito dignissimo, Consistorij  
Ecclesiastici Pro Præsidi & qvissimo  
MÆCENATI MAGNO!

Favore, quo nullo non tempore literas earumqve cul-  
tores amplecteris, eximio fretus, occupationes Tuas M:R: sacras  
interrumpere jam sustineo. Qvum vero plurima  
Tibi me debere sciam, ingratus prorsus essem, nisi, ob-  
lata occasione, debite observantie gratique animi aliquod  
saltē documentum offerre conarer. Patiaris itaque M.R.  
Vir, ut ex nomine quoque Tuo opell: bec nostra lucem fa-  
neretur, meqve ut antea, ita & in posteram benivolentia  
Tua ne reputes indignum. Reverentia & obsequio nemini  
ero secundus, qui ad vita finem, pro Tua, Maxime  
Rev. Vir Familiæqve prosperitate perenni vota nunc-  
pare nunquam desistam

Maxime Rever. Nominis Tui

Cultor humilissimus  
**NIC. BEXELIUS.**

VIRO Admodum Reverendo atque Preclarissimo  
Dn Mag. NICOLAO COLLIANDRO,  
In Elghult & Hölleberg Pastori ac Præposito longe  
meritissimo; ut antea Præceptorí fidelissimo, ita &  
nunc Patrono certissimo, qvavis observantia  
venerando!

Admodum Reverendo nec non Preclarissimo Domino,  
Dn Mag. BENED. NORLIN,  
In Skirö & Nykyrke Pastori meritissimo, omnire-  
verentia suspiciendo!

Plurimum Reverendo & Preclarissimo Domino,  
Dn. Mag. CLEMENTI HELINO,  
Pastori in Bexheda & Näsby meritissimo, pia men-  
te venerando!

Vobis Patroni, Promotores & Fautores Colendi,  
pro innumeris mibi prestis beneficiis, quo pars est of-  
fo, offere

Admod: Rev: Preclariss. Clariss.

ad obsequia  
N

VIRIS Admodum Reverendis & Praeclarissimis,  
In Reg. Gymnasio Wegs. S. Theologiae & Philosophiae  
LECTORIBUS dexterrimis,  
Ut antea Præceptoribus optimis, ita jam Promoto-  
ribus meis certissimis, omni honoris  
cultu proteqvendis!

Admodum Reverendo & Praeclarissimo Domino  
Dn. Mag. JACOBO STOCKE,  
In Måshult & Stenbårga Pastori Vigilantissimo, o-  
mni observantia colendo!

Plurimum Reverendo & Clarissimo Domino,  
Dn. SUENONI BLIDBERG,  
Pastori in Hwettlanda' vigilantissimo, fautori singula-  
riter honorando!

suspiciendi, honorandi, basce meas primitias Academicas,  
ficio ac pietate, cum omni felicitatis & prosperitatis vo-  
atque consecro

Nominum Vestrorum

paratissimus  
**BEXELIUS.**

Qvartermästaren vid Kongl. Adels Fahnas,  
Adel och Wålbördige  
Herr MAGNUS KLING,  
Gunstige. Gynnare!

**A** Jag mit lilla wärk om GÖDE och HÖDE  
framgifwer /  
Och hur' man fatta bör/ hvarci sin röta färg;  
Då siefwa åmnet mig min plcht oet förestifwer /  
Och minnet fråter opp all glömskans dunctla årg,


I hela barndom min ha'n I min gynnar' wärde  
Så mycket godt mig gjort / som sief min egen Fafe;  
Det wor då mot min plcht / om jag ej Ehr förährde  
Min ungdoms försiling / och berönd' Ehr godhei rar.

Jag lägger therför' niv hos Ehr min pappers gåfwa /  
Och ber / at som et pref utaf et mördianit sinn  
Hon gunstigt rages an; då jag och tregit lefwar /  
At offra böners liud till Gud i lifstid min.

At Han Er/ Wärda Man i näder här tisdelar  
Af alt hivad drifligt är et rikt och dälnigt mäte /  
Så at af timligt wähl / ett något Eder felar /  
Ep se'n i himlens frögd Ehr sälheis arfvelätt,

Min gunstige Gynnare

Ödmuk-hörsamme tienare  
N. B.



### §. I.

**U**T ad tractationem sequentem aperiamus viam, primum indicandum est, quid per bonum & malum intelligamus. Bonum autem nobis dicitur omne id, quod perfectionem nostram vel constituit, vel promovet, sicut contra malum, quod imperfectiōnem aut in se continet, aut producit. Quemadmodum homo constat anima & corpore, ita utriusque perfectiones hic in censum veniunt. Ut anima est pars hominis praestantior, ita quæ illam perficiunt, maximi fieri debent. Anima varias habet facultates, quarum superiores sunt intellectus & voluntas; quibus subserviunt inferiores, sensus, imaginatio, memoria, appetitus sensitivus & affectus. Singulæ, quas diximus facultates, suas admittunt perfectiones, pro varia facultatum natura promovendas. Corpori quoque lux competit per-

A fectio-

fectiones, ut sanitas robur &c. Ut igitur quilibet animæ & corporis perfectio est bonum quoddam, ita contrariae imperfectiones inter mala referuntur. Vantur præterea res externæ, & quidem plurimæ, conservationi nostræ inter vientes, quæ ideo bona externa nuncupentur, quorum legitimus usus ad perfectiones, abusus ad imperfectiones hominis pertinet.

### §. II.

**Q**uemadmodum cognitio in genere est representatio objecti in intellectu, ita viva audit, quando fit voluntatis motivum; haud secus, atque corpus vivum vocatur, quum se movere potest. Cognitione itaque viva boni & mali gaudere dicitur homo, ubi non solum novit, in quo vera sua perfectio consistat, & quid ab ea alienum sit, sed ipso actu exequitur, quæ ad illam promovendam, hoc vero avertendum faciunt.

### §. III.

**C**ognitionem vivam boni & mali possibilem esse patebit, ubi hominem quoad intellectum, voluntatem & cæteras vires consideraverimus. Ea enim virtute posset intellectus hu-

mianus

manus ; qua verum a falso , bonum a malo discernere valeat ; quare Scepticismum dudum exploserunt Philosophi. Homo quoque ad inquirendam veritatem naturali fertur instinctu ; nec aliud est dignius , quod investiget objectum , quam bonum ac malum & utriusque discrimen. Præterea id non solum habet cum brutis animalibus commune , quod conservationem sui quærat , & a destructione abhorreat ; verum etiam voluntate gaudet libera , qua , quod intellectus ut bonum repræsentavit , eligere , quod vero ut malum exhibuit , rejicere possit. Hæc voluntas insita quadam vi ad appetendum bonum , malum averlandum ac fugiendum libere tamen rapitur , quæ alte adeo est infixa , ut deleri non possit. Imo Philosophi perspicaciores observarunt in homine amorem boni in infinitum se ex porridentem. Quod si facultates inferiores adspexerimus , constabit & illæ eo adigi posse , ut superiorum imperio obsequantur. Corporis etiam humani ea est constitutio , ut voluntatis decreta exequatur , saltem nisi vis externa obstiterit. Omnia itaque adiungunt , quæ ad hoc concurrere debent , ut homo cognitio-

nem vivam boni & mali adquirere possit.

§. IV.

**A**d necessitatem vero cognitionis vivæ probandam non ampliori molimine opus est, quam ut in originem & causas malorum, quibus affliguntur homines, paulo attentius inquiramus. Hec autem vel inde pendent, quod per oscitantiam investigare negligant, in quo vera eorum perfectio sita sit, adeoque bona apparentia pro veris per errorem attripiunt, vel etiam, facultatum inferiorum in superiores dominio prævalente, in ea ferantur que ratio prænalis habet. Æstimant nimis in isto statu voluptatem evanidam ut majus bonum, quem quæ ad veram eorum felicitatem spectant, unde illud Medæ apud Poëtam:

*Video meliora proboque,*

*Deteriora sequor.*

Atque ex duobus hisce fontibus omnes proptermodum calamitates, quibus obnoxia est mortaliū conditio, originem ducunt. Excipiuntur tamen quæ per specialem Dei prævidentiam immittuntur, quoniam & hæ in illis rationem sui habent. Verum ut rem paucis complectamus,

*bo-*

5

bonum sine illius cognitione nemo adsequi potest, & vana est omnis scientia boni, nisi accedat praxis. Notitia igitur veræ perfectionis, & serius ad eandem obtainendam natus, duo sunt cardines, quibus omnis vertitur felicitas humana.

§. V.

**P**erfectiones nostræ pro differentia facultatum animalium, diversitate membrorum corporis, & eorum, quæ statum externum respiciunt, discrimine variat, & in plures omnino species distinguuntur § I. Antequam igitur explicare valeamus modum ad cognitionem vivam pervenienti, necessarium est, quantum instituti ratio exigit, specialius varias hominis delineamus perfectiones, quarum singulæ genesis siue constitutionem cognitionis vivæ ingredimur. Notandum vero est, nos heic non præcise acturos de perfectionibus, quæ per essentiam homini insunt, verum de accidentalibus, quarum adquisitio & conservatio ab actionibus nostris liberis pendet, quæque adeo recte usu facultatum nostrarum promoveri possunt.

§ VI.

## §. VI.

**I**NTER ALIA PRIVILEGIA, quibus homo præ brutis animantibus est ornatus, eminent intellectus, quo mediante res distincte considerare datur. Quatenus hac facultate, quæ inter perfectiones hominis essentiales primum occupat locum, sumus instructi, eatenus ad eum statum nobis pertingere licet, quo varia objecta clare distincte ac certo cognoscere, ex singularibus universales abstrahere notiones, & vera denique ab apparentibus distinguere valemus. Quod vero attinet ad perfectionem intellectus accidentalem, quæ debita cultura procuratur, est illa ex duplice imprimis fundamento estimanda. Nimirum intellectus eo censetur perfectior, quo vel plura objecta distincte novit, vel quo plura in eodem objecto discernere potest. Priorem dotem sibi comparant illi, qui Polymathiae student, posteriorem vero, qui solida scientiarum pertractione ingenium excoluerunt. Ut autem variarum rerum notitiam nobis adquiramus distinctam atque solidam, varii requiruntur habitus intellectus, iugi exercitio comparandi, ut pote acumen, profunditas, scientia, sapientia, quos hic scorsim explicare nimis foret prolixum.

## § VII.

**P**roximum est ad voluntatem, quæ appetitus rationalis alioquin dicitur, considerandam progressiamur. Est hæc ipsa facultas per naturam animæ ad bonum ab intellectu conformatum determinata. §. III; unde perfectionem ejus essentiale constituit, quod bonum appetere, malum vero aversari queat. Perfectio autem accidentalis, quæ a nobis pro virili promoveri debet, in eo consistit, quod nihil appetat nisi vere bona, nihil aversetur nisi vere mala, & quod in singula objecta pro dignitate eorum seratur, & per consequens in collisione plurium honorum illud cæteris præferat, quod majori præstantia te commendat. Ad perfectiones quoque pertinet, quod per motiva convenientia h. e. ex ipsa objectorum indole intrinseca, ac perfectionibus Divinis defuncta dirigatur atque determinetur. v. g. Si egoen des eleemosynam, ut inopiaz ipsius succurras, & hac ratione felicitatem ejus promoteas, adeoque rem DEO gratam facias, motiva adfunt genuina. Quod si vero hoc agas, vel vana ductus ambitione, ut aliis videaris, qui non es, & sic laudem, quam non meruisti

ruisti ab aliis reportes, vel continuis alterius sollicitationibus, quibus liberari cupis defatigatus, actio tua recta quidem est, si ratio habeatur solius locomotivæ, non vero respectu intellectus & voluntatis. Non enim sufficit actionis externæ convenientia cum lege naturali atque divina, nisi sincera animi intentio eidem respondeat. Qui vero motivis non utuntur genuinis, sed appetitum habent a rationibus extrinsecis pendulum, eorum actiones, licet externa boni specie superbiant, a rectitudine tamen multum discedunt.

### VIII.

**E**xplicatis sic facultatibus superioribus, accedimus ad facultatem cognoscitivam inferiorem, quæ perceptionibus rerum corporearum se exerit. Per res corporeas hic intelligimus tam corpora ipsa, quam eorum attributa & modos. Ad facultatem hanc cognoscitivam inferiorem ito pertinent sensus externi, qui sunt facultates percipiendi objecta præsentia, quæ in organis corporis nostri mutationes caußantur. Numerantur hi communiter quinque, ut posse visus, auditus, gustus, olfactus, & tactus;

&amp;c

& sic distingvuntur pro varietate organorum  
quæ ad sensationes requiruntur. Cum hi,  
sic enumeratis speciebus, quæ sensus cx-  
terni appellantur, non confundenda est  
conscientia mutationum, quæ in anima no-  
stra accidunt, *sensus internus* dicta. Hæc  
enim non res corporeas, sed operationes  
entis simplicis obiectum habet. Sensus autem  
externi a Conditore Optimo & Sapientissimo no-  
bis concessi sunt, ut eorum, quæ sunt atque  
sunt in mundo, historicam adipiscamur cognitio-  
nem. Et observarunt acutiores, omnes nostras  
perceptiones mediante sensu vel externo vel in-  
terno enasci, quod facta inductione facile pro-  
bari potest. Objicere quidem solent scepticismi  
Patroni, sensibus non esse fidendum; falli e-  
osdem continuo & fallere, adeoque in verita-  
te inquirenda nullum esse eorum usum. Sed  
cum perfectionibus divinis minime convenit hæc  
hypothesis; Deus quippe omnis veri Auctor id  
nobis dare non potuit, quod semper nos de-  
luderet. Et quomodo quælo fieri posset, ut ad  
præsentiam ejusdem objecti eadem semper sensa-  
cio recurreret, nisi esset rei obviae consentanea

& fundamentum in illa haberet. Interim non negamus, dari sensus, in quibus objecta aliter apparent, ac revera sunt constituta. Verum datus nobis est intellectus, quo definire valemus, quænam requisita adesse debeant in sensationibus, ut sua illis constet veritas. Ne igitur verum cum apparenti confundamus, organa supponuntur sana, nulloque morbo corrupta, sufficiens attentio, & quæ sunt ejusdem commatis alia.

### §. IX.

**P**rotout per sensus externos illa nobis repræsentamus, quæ præsentia sunt, dum in organa sensoria agunt; ita imaginatio præterita in mentem revocat, & eorum, quæ antea sensibus percepimus, ideas reproducit. Imaginatio autem hanc sequitur legem: Si ea, quæ jam percipiuntur, aliquam convenientiam habent cum olim perceptis, integra quoque perceptio præterita denuo suscitatur. Perfectio imaginationis in eo est posita, quod res non solum clare verum etiam distincte repræsentent, h. e. ejusmodi ideas subministret, quibus rem non solum ab aliis distinguere, verum etiam quæ in illa diversa sunt, observare & a se invicem dis-

scer-

scernere valemus. Sic Pictor aliquando, vi imaginationis pollens, faciem hominis absentis adcurate despingit. Cum imaginationis actibus in praxi frequenter conjungitur memoria, unde etiam cum priori facultate vulgo confunditur. Est autem memoria facultas, qva ideas olim obversatas, nunc vero revocatas sive sensum sive imaginationis ope, denuo agnoscimus ut familiares, h. e. ejusmodi, qvæ olim animum subierunt. Datur etam memoria intellectus, qva entia simplicia, eorum operationes, & veritates abstractas, ante nobis obviæ, nobis sistimus, & ut notas agnoscimus. Imaginatio operari potest sine memoria, h. e. reproducuntur idæ quæ non agnoscimus. Memoria vero sensualis imaginationem presupponit. Sed memoria intellectus in sensationibus intimis fundatum habet. Perfectio memorie ex multitudine objectorum ad quæ se extendit, & perceptuum claritate ac evidentia aestimatur. Imaginationem æque ac memoriam in veritate cognoscenda, & actionibus dirigendis insignem habere usum in seqventibus constabit.

## § X.

**E**X sensu atque imaginatione pendet appetitus  
B2 sen-

sensitivus, quæ est facultas appetendi atque averandi objecta pro ratione boni & mali, a sensu & imaginatione illis adjudicari. Sumimus heic appetitum sensitivum in sensu latiori, ut etiam aversationem sub se comprehendat. Qvod si ad nos ipsos rite attendimus, facile deprehendemus, illa nobis mediante sensu ut bona representari, ex quibus voluntatem & delectationem percipimus, contra vero illa tamquam mala spectari, quæ tandem vel molestia nos afficiunt. Imaginatio præteriorum reproductrix, modo sola appetitum determinat, modo socias cum sensu vires conjungit; sequenti casu fit, ut bonum videatur majus, quod longe minus habendum esset, si solo sensuum iudicio aestimaretur. Qyoniam vero fieri solet, ut voluntatem non minus percipiamus ex perfectione vera, quam apparente quemadmodum experientia satis constat, per se patet, quanto errandi punculo se exponant, qui in dijudicandis objectorum meritis, eorumq; ad nos relatione, solo facultatum inferiorum statim iudicio. Neque enim ad voluptatis genesin distincta præreqviritur notitia, sed voluptas statim oritur quam

quam primum nobis concii esse videmur aliquis perfectionis, adeoque antequam ejus notio confusa, quæ primo intuitu tibi nobis offert, ad distinctam fuerit revocata. Qvod si igitur contingat, ut voluptas originem debeat perfectioni apparenti, is qui in facultatibus inferioribus acquiescit, ad actiones turpes committendas honestas vero omittendas adducitur. Quæ dicta sunt de appetitu, ea etiam mutatis mutandis ad aversionem applicentur, ne opus sit illis immorari, quæ ex dictis attentione adhibita, satis patent.

### §. XI.

**W**ehementiores in animo mutationes, cum certis in corpore, & praesertim sanguine mutationibus conjunctæ appellantur affectus. Varias affectuum definitiones apud varios passim vide se licet; & in philosophia maxime controvrritur de natura affectuum. Nos ea tantum hic adoptamus, quæ immediata nos experientia docet; quemadmodum etiam eorum probamus industram, qui singulorum affectuum genesis affectiones & signa exposuerunt. Produnt nimurum hos nisi peritissimus simulandi sis artifex, vox, verba gestus

gestus & extraordinaria qvædam sanguinis com-  
motio in partibus corporis & præcertum in facie  
conspicua. Ut vero intelligamus distinctius, quid-  
nam tandem illud sit, qvod tantos in nobis ex-  
citat fluctus, qvibus componendis aliquando su-  
mus impares, sequentia obſervanda sunt: Qvando  
nobis obiectum aliquod repræsentamus, fit ple-  
rumqve, ut voluptate vel tædio nos afficiat, pro-  
ut nobis ut bonum vel malum sistitur. Recurrunt  
juxta ideæ bonorum vel malorum, antea perce-  
ptorum, & aliquam similitudinem cum præsentis-  
bus habentium, ut & voluptates & tædia ex iis-  
dem antea orta; unde, qvum tot occurrant fi-  
muli, qvot bona vel mala simul repræsentantur,  
quid mirandum si fortior in mente impetus  
excitetur? Vehementia igitur illa, qvæ in affe-  
ctibus est conspicua, tam ex magnitudine quam  
multitudine bonorum vel malorum, qvæ nobis  
repræsentamus existit. Et haut raro ne consciū  
qvidem sumus eorum, qvæ in affectus genesis  
influunt. In hujusmodi enim casibus tot per-  
ceptiones coēunt, ut anima illis, qvæ in statu  
isto confuso accidunt obſervandis non sufficiat.  
Unde non potest non fieri, ut affectus ſœpe ratio-

15

ni contrariantur, qvod experientia satis com-  
stat; qvare apud Philosophos frequentissi-  
ma occurrit mentio pugnæ inter facultates ho-  
minis superiores & inferiores. Hinc ejam Stoici  
occasione arripuerunt statuendi, affectus o-  
minino esse eradicandos. Verum id impossibile  
esse qvilibet, rem paulo diligentius expendens,  
facile intellegit. Tam alte enim naturæ nostræ  
insident, ut nullo modo prorsus deleri possint.  
Neque hoc opus est. Nam a DEO frustra  
nobis dati non sunt, sed insignem habent us-  
sum, qvando res arduæ ac difficiles veniunt fulci-  
piendæ. Tum & animi & corporis vires excitant  
& id efficient, ut homo cum alacritate qua-  
dam agat. Perfectionem vero illorum constituit,  
qvod rationi subjiciantur & intra ejus coercean-  
tur gyrum.

### §. XII.

**Q**uem corpus sit pars hominis essentialis,  
ad eoqve errent, qvi illud ut instrumen-  
tum duntaxat animæ spectent; & anima præ-  
terea opus habeat ministerio corporis ad decreta  
sua exsequendum; corporis qvoqve perfectiones  
hic expendere oportet. Corpus nostrum ad sui

com-

conservationem est aptum. Omnes naturales organorum vitalium functiones ad eum finem tendunt. Qvis igitur negare ausit, actiones liberas ita esse instituendas, ut intenta illa a Conditore conservatio corporis non impediatur, sed promoveatur? Ad perfectionem igitur corporis primum & præcipue pertinet sanitas, qvæ nihil est aliud, qvam status ille, quo omnes corporis partes eos motus edere possunt, qvorum illis per naturam data est potentia. Corporis etiam robur in variis casibus est necessarium, in primis ubi humeris & lacertis duriora sunt opera perficienda. Ad perfectionem corporis denique referimus agilitatem se variis artibus exferentem. Huc pariter spectant habitus, qvibus artes manuariæ, qvarum ranta in vita humana est necessitas & usus, dextre excentur. Et qvum gestus externi sint signa constitutionis animi, quibus ubi compositi fuerint ac decentes, nihil efficacius est ad animos aliorum conciliandos, quin corpus actibus decoro contentancis adscere debeat nullum est dubium,

### §. XIII.

**S**tatus hominis externus dicitur, qui in res latio-

latione ejusdem ad alias res extrinsecas consistit. Bona vero fortunæ appellantur, quæ statum humæ perfectiorem reddunt. Eo pertinent opes, honores, multitudo amicorum, securitas & extera ejusmodi commoda quæ homini extrinsecus continentur. Levi autem attentione patet, hæc ideo dici bona, quia iisdem ad conservationem corporis & perfectionem reliquam opus habemus. Turpiter igitur errant, qui felicitatem suam aliorumque, ex numero & quantitate bonorum fortunæ metiuntur, cum recto usui bonorum istorum, non vero nudæ eorum possessioni tribendum sit, quod ad felicitatem nostram aliquid conciterant. Absit vero statuamus bona fortunæ per se veræ felicitati obstatæ, quum hoc eorum abusui potius adscribendum sit. Imo qui perpendit, quam multæ ad vitæ necessitatem, iacunditatem ac decus sint necessaria, facilis largietur, nullam prætermittendam esse occasionem, qua eadem, salvis officiis erga Deum, nos ipsos ac alios, comparare queamus.

§. XIV.

**V**idimus iam, quam sint multa & varia, quæ perfectionem hominis ingrediuntur. Enim

vero homo valde imbecillis in hoc mundi the-  
 atrum prodit, nec statim istas possidet dotes,  
 quas jam enumeravimus. Quantum enim igno-  
 rantiæ qnoad intellectum, quantum societatis  
 qvoad voluntatem natura nobis inest? Ut  
 imbecillitates corporis & cæteras imperfec-  
 tiones jam silentio involvamus? Fieri etiam pos-  
 test, imo haud raro solet, ut in ætate pro-  
 etiori neglectu usus facultatum naturalium vel ea-  
 rundem abusu imperfectionem nostram augeamus.  
 Illis qvidem facultatibus instructi sumus, quæ ad  
 has perfectiones adquirendas requiruntur; ut  
 vero actu ipso eas adipiscamur, facultates istæ  
 exercenda sunt h. e. rectius earum usus  
 comparandus. Non negamus, quædam dari  
 facultates naturales, quarum usus a natura no-  
 bis datus esse videtur, quorum pertinent sensus;  
 ex sequentibus nihilominus patebit, illum usum  
 amplificari a nobis posse & ad majorem perduci  
 perfectionis gradū. Quidam ut compotes eva-  
 damus cognitionis vivæ, cuius necessitatem adstruxi-  
 mus §. IV. id agere debemus, ut ad majorem suc-  
 cessive perfectionem progrediamur, licet illum  
 gradum, quem lex divina postulat, quamdiu

in hac mortalitate sumus, nunquam attingamus; quod qvomodo fieri debeat recto facultatum nostrarum usu paucis jam edifferemus.

§ XV.

**I**ntellectum perficimus, ubi multiplici rerum præstantium & utilium notitia eademque clara distincta & solida illum instruimus. In primis ergo est, rationem probe excolamus. Hæc enim Reginæ instar cæteris, qvibus homo gaudet facultatibus, imperare debet. Et in quantum ejus mandatis obsequimur, in tantum vere sumus homines, contrario casu a naturæ nostræ dignitate deficimus. Ad culturam rationis non solum conducit regulas Logicæ senioris perdiscere, & fontes errorum, qvibus homines in devia abripiuntur, probe perspectos habere, verum etiam exercitio impigro promptum rationis usum adquirrere. Huic instituto inservie librorum, a viris ingenio & acumine præditis conscriptorum, attenta lectio & meditatio, nec non conversatio cum illis, qui hisce dotibus excellunt. De cætero mundus magnus est liber qvi amplam satis materiam semper subministrabit, circa quam gnaviter occupati, vires intelle-

Eius & rationis majorem in modum amplificabimus. Quare nec mirum inveniri homines, a literarum studiis imparatos, qui tamen insigni acumine pollent. Id nihilominus dubio caret scientias, ad augendas rationis vires plurimum conferre, praecertum ubi genuino tractantur ordine, & veritates nativis ex principiis prolixia conclusionum serie propagatas exhibent. Atque recte omnino judicasse nobis videntur, qui hunc scientiarum fructum palmarium esse dicunt. Infinita sunt illa objecta, circa quae intellectus noster versari potest, & omnibus explorandis ob limitatam valde naturam haud quaquam sufficit. Videndum itaque, quanam cognitio magis vel minus necessaria sit. Quemadmodum a cognitione boni & mali omnis nostra felicitas penderit, Ita ejus notitia quam absoluta sit necessitatis, nemo inficiabitur. Praeterea, quum omnes scientiae & artes alii quid conferant ad felicitatem humanam, qui libet uni earum vel pluribus discendis & exercendis se applicabit, prout ingenium, conditio, & vitae quod elegit, institutum, admiserint postulaverintque.

## § XVI.

**U**T voluntatem perficiamus, intellectus cognitione boni & mali est imbuendus §. VII. Nostro autem tempore magno animorum motu disputatum est, utrum emendatio hominis ab intellectu an voluntate sit inchoanda, nonnullis posterius defendantibus. At hi ipsi quod pace illorum dixero, naturam animæ legemque appetitus non satis pensitarunt. Non tamen statuimus, totalem intellectus emendationem præmittendam esse emendationi voluntatis, cum utriq[ue] negotio simul sit incumbendum, adeoque ubi prior facultas uno præcessit gradu in discernendo bono & malo, voluntas illico progressiatur ad transferendam illam cognitionem ad praxin. Qvo ipso etiam cognitioni intellectus major assunditur claritas ut §. uberioris exposituri sumus. Qyum vero non omnis cognitione boni & mali permovereat voluntatem, teste experientia, paucis quoq[ue] indicandum, quibus esse debet, ut vero satisficiat. Deprehendimus vero ad nosmetiplos attenti, nos nihil appetere, nisi vel convicti simus, vel saltem esse videamur. Unde constat, convictionem vel veram, vel apparentem

tem, qvæ alioquin persuasio dici sivevit; ad appetitum excitandum posse adhiberi. Verum persuasione duntaxat uti ad animum emendandum, res est lubrica & aleæ plena, qvum fieri possit, ut qvi ex hoc agit principio, vanitate ejus perspecta, ad ingenium redat imo reddatur deterior, qvod multorum lugubris testatur experientia. Qui igitur in bono proposito constans esse velit, is animum firma certitudine convincat. In hoc enim casu metuendum non est, ne sententiam mutet, adeoque aurem illis præbeat, qvi alia judicia insinuare student. Reliqua circa voluntatis emendationem observanda in sequentibus erit adducendi occasio.

### §. XVIL

**Q**UAM omnis nostra cognitio originem ducat ab iis, quæ sensu vel externo vel interno percepta fuere, sensus in veritatis negotio diligenter adhibendi sunt, ne desit intellectui materia, notiones distinctas formandi, & ex singularibus universalia cruendi. Imo cum abstractæ veritates licet ab aliis nobis proponantur, æ gre intelligantur, nisi ad exempla singularia, quæ

quæ sensus afferit, fiat applicatio, operam dare debemus, ut quam plurima sensu percipiamus, ne quid facile dicatur, quod non intelligamus. Cavendum tamen est, ne incauto & excessivo usu vigorem sensuum debilitemus, vel plane amittamus, quod fieri posse experientia docet. Propter usum sensuum insignem & prorsus indispensabilem follicite quoque in omni negotio curandum est, ne ex caussis quibus. dem extrinsecis vel intrinsecis organa sensoria vitium aliquod contrahant. Ut vero sanioribus hinc consiliis morem geramus, miseram eorum sortem perpendere juvat, qui unus vel alterius sensus usu destituuntur. Prout vero n*im*io usu sensus hebetantur, ita moderato acumen eorum amplificari observatum est. Sic assidui in contemplandis minoribus partibus corporum, eo ipso sibi compararunt acumen distinguendi illa, quæ alioquin vilum effugiunt, quod experti sunt, qui in tribus naturæ regnis minutissima etiam attendere suvere. Similiter, qui longinquæ & procul diffusa frequenter speculantur, acui vilum observarunt in iisdem spectandis, quod exempla quorundam Astronomorum

inter alia confirmant. Subveniant etiam sensibus quedam instrumenta. Sic Microscopiis & Telecopiis videntur, quæ oculo se subducunt nudo. Hæc igitur instrumenta in accurationi rerum examine non sunt negligenda. Circa usum sensuum præterea monuisse juvat, ut animum attentum ad observationes adferamus. Alioquin enim fieri potest, ut ea nos expertos esse existimemus, quæ in experientia minime fundantur. Ad falsicias sensuum evitandas multum quoque refert, si objecta diu & freqventer contemplemur, & ad unam rem investigandam sensus plures adhibeamus. Quid salutari consilio observant periti agricolæ, qui non solum visu, verum etiam gustu, olfactu & tactu illud temporis punctum explorare solent, quo semina terræ mandare convenientissimum est.

### §. XVIII.

**I**Maginatio & memoria perficiuntur, si ad retinendas ideas quam plurimas easdemque promte reddendas aptæ redduntur §. IX. Extensio autem utriusque facultatis obtinetur, ubi a gradu minori ad majorem per insensibilia incrementa continuo progredimur. Hanc viam cal-

calcavit Wallius, Mathematicus apud Anglos  
Celeberrimus, qui in tenebris nocturnis ex nu-  
mero 53 locorum, quem sola imaginationis & me-  
moriae vi praesentem retinuit, radicem quadra-  
tam extraxit. Iuvari quoque imaginatio & me-  
moria possunt in casibus particularibus, si res  
memoriae mandandas vel diu contemplemur,  
vel ea, quae didicimus, frequenter repetamus.  
Non evidem desunt, qui vel semel percepta  
per omnem vitam cursum tenacissime retinent,  
qua prerogativa plerumque gaudent Polyhisto-  
res, qui vastam rerum plurimarum notitiam sic  
animo comprehensam tenent, ut de quibusvis  
argumentis, quoties tulerit occasio, promite dis-  
serere valeant. Hac dote excelluerunt incompa-  
rabilis Hugo Grotius, & perspicacissimus Leib-  
nitzius, quorum hic ideo a Georgio I. Magnae  
Britanniae Rege hanc ita pridem defuncto, Lexi-  
con ipsius vivum fuit appellatus, prout testatur  
Fontenellius in descriptione vitae Leibnitii gal-  
lice edita. Interim Herorum exempla non o-  
mnibus imitari est concessum. Licet igitur non  
defuerint ingenia, quae subsidiis memoriae care-  
re potuerint, ob singulare robur, partim na-

tura datum, partim studio adquisitum; non tamen sequitur cæteros laudatis adminiculis tuto carere posse. Potest etiam imaginatio certis quibusdam signis juvari, quibus excitantur objectorum considerandorum ideaæ. Hoc in directione actionum nostrarum usum habet non contemnendum. Requirit enim imperfectio nostra, ut ad cogitandum de Officiis, variis excitemur signis. Et hinc juxta patet ceremoniarum in cultu Divino utilitas, quibus in memoriam revocamus, quæ de DÉO rebusque Divinis pie meditari & verbis testari convenient.

### XIX.

**I**N emendationem facultatis appetitivæ non solum ratio habenda est intellectus, ut ille sufficienti boni & mali notitia instruatur, verum etiam curandum est, ut appetitus sensitivus facultatum Superiorum imperio subjiciatur. Licet enim appetitus rationalis aliquid agendum approbaverit, fieri tamen sope solet, ut obrenitentiam appetitus sensitivi, vel difficulter, vel plane non adducamur ad agendum ea, quæ ad perfectionem nostram tendere intelligimus. Unde videmus eos, qui in actionibus suis impe-

petum appetitus sensitivi seqvuntur, segnes esse ad conficiendas res, qvarum executio molestiam illis parit. Sic multi eos tantum libros pervolvant, vere amant, qvos ludendo intelligere valent, quales sunt fabulæ Romanenses, & ejus generis alia. Scripta vero, in qvibus singula per partes meditari necesse est, fastidiunt, quia ad singula operosius attendere illis est molestum. Qui itaque in prosecutione veri boni constantiam tueri omnesque difficultates superare studuerit, huic e re est, appetitum sensitivum cum rationali in concordiam reducat. **Enim** vero appetitum sensitivum in se trahit quidquid voluptatem assert, eundem vero retrahit & aversionem cauissatur quidquid tedium parit. Ut igitur consensum, de qvo modo diximus obtineamus, opera danda est, ut etiam imaginationis & sensuum ope convincamur, non nisi ex veris bonis iuxtiā & duraturam profluere voluptatem, ex apparentibus vero nocuam ac transitoriam, qvæ in sexenta tediū demum degenerabit. Qvum vero ea, qvæ sentimus vel imaginamur, sint non nisi singularia, patet in generalibus heic subsistendum non esse, sed ad exempla sive casus

singulares applicationem institui debere. Exempla vero desumi possunt non solum ab experientia domestica, verum etiam aliena; unde constat Historiae in primis biographiarum usus, si modo rite concinnatae fuerint. Neque fructu destituantur fabulæ, quæ sub fictionum jucundo involviro vitæ morumque præcepta repræsentant. Interim palmam ceteris præcipiunt exempla, quæ propria nobis experientia suggesterit, quum major ipsis insit certitudo. Unde commendamus omnibus, ut diligenter attendant ad suas & aliorum actiones, earundemque consequentias tam leetas quam luctuosas. Sic enim intuitivam siibi parabunt notitiam eorum, quæ ad perfectionem suam vel imperfectionem tendunt. In primis vero ex alieno casu discamus, quæ vitanda sunt, & sic alieno potius, quam proprio impendio sapiamus. Quæ jam adduximus, plurimum observasse javat in institutione puerorum, & aliorum, qui exiguo gaudent usu intellectus, unde pendet appetitus rationalis. Hi etenim tantum non semper in determinandis actionibus sequuntur appetitum sensitivum, cui ab incunabulis suere adiuti. Ut igitur appetitum boni &

fugam mali apud eos excitemus, exemplis manifestis inculcanda est illis differentia, quæ inter voluptatem noxiæ atque innocuam intercedit.

§. XX.

**Q**uoniam vero consensus appetitus sensitivi, cum rationali in omnibus casibus obtineri non potest, potentiam eidem resistendi, ne prævaleat adversus rationalem, aut si mavis dominium in appetitum sensitivum comparare nobis studeamus. Ut vero hæc victoria appetitus rationalis faciliter, notitiam boni & mali, quam fieri potest certissimam nobis adquiramus, tum via demonstrationis tum experientia, representando nimirum nobis scepe & vividissime damna illa, quæ ex inordinata vita propullulant. In primis occasiones male agendi, quantum unquam fieri potest, evitare studeamus. Unde fugienda est librorum lectio, quæ vitiis alimenta subministrat. Fugienda quoque eorum convetudo, qui vel fastis vel sermonibus exempla prava nobis insinuare possunt. Malorum enim exemplorum detectanda est seges. Cavenda quoque omnis in agendo præcipitantia, præcertim ubi habitum

recte agendi nondum comparavimus, vel minime quotidiana sunt, quæ agenda veniunt. Ne igitur detestu attentionis in damna incidamus incauti, necesse est, ut anteqvam ad agendum nos determinemus, principia generalia juxta quæ actionis moralitas est dijudicanda, in mentem revocemus, & ad illorum normam actionem datam examinemus. Ut vero serenam mentem ad examen actionum adferre queamus, illud in primis tempus huic negotio destinandum, quo sensus & imaginatio attentionem ad alia objecta non avocant. Si autem hoc fieri nequeat, objecta, de quorum relatione ad nos meditamur, vel signa quædam eorundem sensibus sunt obiecta, ut hac ratione cogitationes a scopo alienas arceamus. Hinc simili patet, quam necessarium sit illi, qui appetitum in ordinem redigere voluerit, ut habitum in rebus meditandis attentionem conservandi sibi comparet.

### §. XXI.

**Q**Væ de appetitu sensitivo diximus § præcedens ea ad affectus quoque sunt applicanda. Neque enim affectibus constanti & solida ratione mederi licet, nisi appetitu sensitivo sub iugum

gum missio. Ea vero, quæ in affectuum regimine sunt observanda, ad duo momenta redenant: nimirum ut affectus rationi contrarios coērceamus, eidem autem conformes excitemus. Expelluntur affectus, vel saltem justos intra limites coērcentur, si in nobis excitemus affectus contrarios. Sic nimia lætitia, qva exultat animus, fugatur, vel ad mediocritatem reducitur, ubi cogitationem ad ea convertis, qvæ tristitiam cauſſantur. Circa posterius momentum illud observasse juvat, ad fleetendum alios iis utendum esse affectibus, qui inclinationibus eorum vel naturalibus vel conivetudine contradictis velificantur.

### § XXII.

**A**D sanitatem corporis tuendam plurimum omnino refert temperantia studere nimisqve labores & inordinatas cupiditates fugere. In omni quoque motu & situ corporis adhiberi debet circumspectio, ne quis incautus integrati membrorum officiat. Aesculapii filii relinqimus, sanitatis conservandæ & reparandæ modos explicare. Robur corporis comparamus, ubi a prima ætate variis laboribus & molestiis perferenda

dis

dis adfuescimus, & a minoribus ad majora successivis incrementis paulatim progredimur. Habitus corporis, quibus homo vel ad vitæ decorem vel ad artes varias exercendas, & munia illa, quæ agilitatem qvandam corporis requirunt, obeunda opus habet nostrum non est in generali hac tractatione scorsim considerare; unde hæc ad artifices & exercitorum magistros remittimus; quod vel ideo necessarium est, qvia artes illæ in formam scientiæ nondum sunt redactæ.

### §. XXIII.

**Q**UAM perfectio status interni, de qua ha-  
ctenus egimus, externis præsidii indige-  
at §. XIII, de acquisitione bonorum fortunæ  
pauca quoque in medium sunt adferenda. Cir-  
ca comparationem & conservationem opum va-  
riæ adduci possent, sed imperata brevitas non  
admittit, ut in istas ambages descendamus. Suc-  
currunt quoqve verba Cantzii, qvibus in Com-  
pendio suo Philosophiæ Moralis §. 3904. in si-  
mili casu utitur. *Nolim hic inquit multa ex a-  
liis congestare, qui mihi otium fere hic faciunt,  
ne sint, qui quantis opibus angear, sciscitentur,*  
&

si minus quam credunt, me possidere rescant,  
 minime audiendum de re œconomica speciose caus-  
 sentur. Circa honores illud monuisse sufficiat,  
 nos magis de vero hōnorū fundamento, quam  
 de honoribus ipsis esse debere sollicitos. Inter-  
 rim improbandum non est, si qvis specimini-  
 bus honore se dignum probare voluerit, ut  
 sic occasionem accipiat dotes suas in aliorum  
 commoda explicandi. Qvum aliorum hominum  
 ope carere nequeamus, minime reprehendendi  
 sunt, qvi de amicis parandis non omnem  
 abjiciunt curam. Ad amorem autem nostri  
 impelluntur alii, nisi fuerint pervicacissimi, si de i-  
 psis bene mereri, eorum facta in meliorem, qvan-  
 tum licet, interpretari partem studeamus.  
 Multum quoque juvat, si in conversatione cum  
 aliis adhibeamus cautionem, illasque nobis  
 comparemus dotes, qvæ aliis placent. Illud in-  
 super de bonis fortunæ in genere monuisse con-  
 venit, ne iisdem cum neglectu bonorum inter-  
 horum studeamus. Cavendus est omnis eorum  
 abusus, qvi in eorum actiones facile irrepere  
 solet, qvi virtutē honestati veraque pietati ope-  
 ram haud navant.

## §. XXIV.

**H**ec de modo nos perficiendi, sive quod eodem recidit, cognitionem vivam acq[ui]rensi dicta sunt. Quantum autem vix fieri potest, ut unus omnes enumeratas perfectiones solum in gradu eminenter sibi comparare queat, unusquisque in perfectione sua promovenda status sui rationem habeat; unde quilibet illas in primis doles conseqvi studiat, quibus in suo vita genere & munera sibi commissi administratione maxime opus habet. Sic ab illis, quorum est dirigere aliorum actiones, maiores requiruntur ingenii vires, quam a ceteris, quibus parendi gloria est relieta.

## §. XXV.

**Q**ilibet tamen in perfectione sua promovenda tantum progrediatur, quantum vires ipsius & circumstantiae speciales permitunt. Ut vero eo magis suppetat nobis tempus hunc negotio, in ipso ætatis flore studio vita perfecte nos totos consecrare debemus. Hoc etiam ideo necessarium est, ne habitus pravi in nobis invalescant, tanto difficilius postmodum extirpandi, quanto altiores egerint radices. Postquam

VERO

vero semel actiones ad nostram perfectionem dirigere suscepimus, hoc propositum constanter est urgendum. Imprimis omnes in id nervos intendere convenit, ut in sensus, imaginacionem & affectus dominium obtineamus. Licet enim facultates istae varium habeant usum, non tamen ideo nobis sunt concessæ, ut seorsim ratione illis utamur more brutorum. Durum quidem illis videtur, qui virtutibus sacris initiandi sunt, voluptatibus sensualibus, quibus ab ipsa infantia adseverant, nuntium mittere.

*Verum,*

*Tu ne rede malis, sed contra audentior ito.*

Victoriae enim premia omnes compensabunt molestias. Postquam enim semel virtutis dulcedinem degustasti, cum gaudio & voluptate virtutem exercebis, quod antea non nisi cum tædio fecisti. Quod si cui haec ænigmatica videantur, is cogitet, veritates practicas non satis dilucide percipi, sed quasi per translennam apparere, ante quam ipse manum operi admoveris. Hoc si feceris, non dubito clara evadant, quæ antea obscuritatibus obsepta videbantur. Fauxit DEUS O. M. Omnis boni auctor, & fons unicus, ut non solum quid

26

vere bonum malumve sit, intelligamus, sed illud  
seqvamur & obtineamus, hoc vero abhorreamus  
ac evitemus, ut sic vera ac solida potiamur  
felicitate!

S. D. G.



Då Herr Respondenten  
NICOL. BEXELIUS

Berömlige disputerade

Om en Lefvande Knudskav af Godt och Ondt.

Et ädelt ämne är, att häfsta sina tankar

Uppå sin siefwan så, at man i akess grund  
Kan lämna GODT och ONDT, kan fåsia trygga andar,

Som i omstiften all ha drhga färrings pund.

Ty som det utan twist för GODT gemensig nämnas,

Som Kropp och Själén vär til salhet ända kan,

Och det twert om för ONDT af allors willigt lönnes,

Som vär Zukomlighet fiendtligt griper an;

Ät synes lustigt nog, att ho som stodit fam'ar

I KUNDSKAP DÖD deraf, han var ei hur' han går,

Och skönt han skroller nog, m.b ordes mycket stramlar,

Han i sin lefnad doch med förtja nium består.

Ty huru kan väl den SKJENGLIGA GODT uhrstilja

Ifiös det RÄTTA, som derom ofannig är;

Hur' kan den uafsig ONDT, det GODA steds wilja,

Som mot ett sundt försidab fin lyssnad följer här?

Mia Bro! jag säger än, det är ett ädelt ämne,

Att första flitigt ut hwad som är ONDT och GODT;

Ty til värst salhets mähl så wisas wägen jämne,

Och hindren röhjas bort, när man den rätt försidat.

Hur som FÖRNÄFDET bör i sedolårau öfwas,

Wär WJEDE, VJENNGS RÖRAT, Uffe'ren noga pröfwas

All RÅDSENS RÖRSE hā inunder Själens drift,

Allt detta och längt mehe I sharpnyt utransokar;

Ty tror jag at Ehet werck lär winna alment pris,

Och önskar, himlens hand utöfver Edes valar,

Och kröner Ehr med godt Ehr tid på minn gt wile.

Utttrade sin fägnad

Des

Görtrugne Wän och Bro

PET. RINGH.

Wegf. Smol.

**S**Er gups und böses nicht zu unterscheiden weis/  
Der tappt in finsternis und geht auf glattes aß/  
Kan den gebahnten weg zur tugend nimmer finden/  
Und muß sich nur allein an falsches wähnen binden.

Der BRUDER weist SICH heut als wie ein  
I heleus,

Zieht auf dem Labyrinth den schon verirrten fuss/  
Da Er den faden zeigt/ woran man sich muß halten/  
Wenn ein Irrgarte wil in unsren sunnen walten.

Das ist ein ruhmlichs werck / des klarheit offenbar.  
Der behfall leicht erreicht / die folge aber rar /  
Jedoch : der Einfalt nur den rechten weg gewiesen/  
So steht es bloß bez ihr/ ob sie ihm wolle kiesen.

Und IHR / HERR BRUDER/ liebt den schatz/  
der weisheit heist /  
Noch ferner/weil sie EUCH die bahn zur Ehre weist/  
Durch sie könnt Ihr der welt und Ihrem Schöpfer die-  
nen /  
Auch wird um EUER Haupt / vereinst ein Lorber grü-  
nen.

Dem Wohlgelehrten Herr Authori als seinem  
wehrtesten Herr Bruder und Landsmann  
schrieb dieses zur wohlverdienten Ehrs

JONAS G. DAHLGREN,  
Wegf. smol.

Eidem,

**C**ratulor, ex animo toto, hoc, Tibi Candide Amio-  
**T**ce,  
Ingenii Specimen, quod praesens sifit opella;  
Pictore sincero cupiens, ut digni reportes  
Præmia, quæ puitas confert. Et seduta virtus.  
Vive aiu felix; tinden ad Pallatia Cœli.  
De dehat omnipotens, vastum qui ariegit orbem!

Festinan i Calamo  
applausit

**PETR.** ARENANDER.  
Smolandus.

## АЛЕКСАНДР АЛЕКСАНДРОВИЧ